Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Benedicto deo 2 pr. 98

Fratres Scimus quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti Nam quos praesciuit et praedestinauit conformes fieri imagini filii sui ut sit ipse primogenitus in multis fratribus Quos autem praedestinauit hos et vocauit et quos vocauit hos et iustificauit Quos autem iustificauit illos et magnificauit Quid ergo dicemus ad haec Si deus pro nobis quis contra nos Qui etiam pro filio suo non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit Quis accusabit aduersus electos dei Deus qui iustificat Quis est qui condemnet Christus iesus qui mortuus est imo qui et resurrexit Qui est ad dexteram dei qui etiam interpellat pro nobis Quis ergo nos separabit a caritate christi Tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius Sicut scriptum est quia propter te mortificamur tota die estimati sumus vt oues occisionis

Os iustum diligit dominus superaui propter eum quia dilexit me Certus sum enim quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque potestates neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei quae est in christo iesu domino nostro

pro euangelio de Ezechiel

Similitudo quattuor animalium facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor facies autem bouis a sinistris ipsorum quatuor et facies aquilae desuper ipsorum quatuor et facies eorum et pennae eorum extentae desuper Duae pennae singulorum iungebantur et duae tegebant corpora eorum Et vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat Vbi erat spiritus spiritus illuc gradiebatur et non reuertebantur cum ambularent Et similitudo animalium et aspectus eorum quasi carbones ignis ardentium et quasi aspectus lampadum haec erat visio discurrens in medio animalium splendor ignis et de igne fulgur egredietur Et animalia ibant et reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis Gr